

Glo  
1024

Nf. 99.

OPINIONES MEDICORVM  
 ARTIS EVEHENDÆ PESTEM  
 EPISTOLA

<sup>QVA</sup>  
*MEDICI SVI ÆVI INCOMPARABILIS*

DOMINI  
**FRIDERICI HOFFMANNI**  
 COMITIS PALATINI CÆSAREI , CONSILIARII,  
 ARCHIATRI ET PROFESSORIS REGII , SCIENTIARVM SO-  
 CIETATIS CÆSAREO LEOPOLDINO - CAROLINÆ ET PE-  
 TROPOLITANÆ: NEC NON REGIÆ BRITANNICÆ ET  
 PORVSSICÆ SODALIS, FACVLTATIS SVÆ ET  
 TOTIVS ACADEMIÆ HALENSIS  
 SENIORIS

SEPTVAGESIMVM QUINTVM NATALEM GRATV-  
 LATVR, SIMVLQE GRATI ANIMI PRO SINGVLIS IN SE  
 COLLATIS BENEFICIIS PVBLICVM PROMIT  
 TESTIMONIVM,

*BREVIBVS MONSTRAT ET RECENSET*  
**ABRAHAM NITZSCH**, Dantiscanus

M. D.

p. r. Medicus Castrensis Cæsareo - Russicus.

---

Anno MDCCXXXIV.

АДИПИЧИМ ТА ГЛАСИЧНИКИМ

ЗОВУ ЧУМАЧІСТІМ НА ФЕРДІНАНОМ

ДІДАЧІМ СИГІРІЧІМ СІГІРІЧІМ

ПІДІБРАДІСТІМ ПІДІБРАДІСТІМ  
ПІДІБРАДІСТІМ ПІДІБРАДІСТІМ

VIR ILLVSTRIS ET MAGNIFICE,

Patrone & Praeceptor pia mente aeternum prosequende.

**A**ntiquum & pervulgatum illud dicterium: Mundus regitur opinionibus, uti omni tempore sua constitut veritate, sic & nostro luculento experientiae firmatur ac stabilitur testimonio. Quicunque enim contingentia mundi composito & procul ab omni partium studio remoto contemplatur animo, singula opinionibus regi, iisque præcipue deberi, facili perspiciet negotio. Etenim regina opinio ubique suum exercet dominium, ad fidet nempe consiliis Magnatum intimioribus, eruditorum dirigit acta & opera, vulgum adoratorem habet & defensorem strenuum, eumque superstitionem. Quid? quod nulla ars, nulla disciplina toto reperitur orbe, circa quam tyrannidis suæ vestigia legere haud liceat prudentioribus. Dolendum fane, quod inter alias ars omnium præstantissima & nobilissima, donorum, ut cum SYDENHAMIO loquar, omnium, quæ hanc vitam respi ciunt, maximum; ab auctore (i) divina; a commodo, quod miseris fert mortalibus, salutifera dicenda, a prima sua huc usque origine non medendi, sed confabulandi, garriendi aliosque exprobrandi studium, quin variarum opinionum, ne dicam variorum commentorum objectum extiterit. Si enim Medicinæ, ut ita loquar, ab ovo contemplamur faciem, nil nisi quoad principia artis, hisque superstructa theoriæ & therapiæ fundamenta, sententiarum deprehendimus divertia merasque fictiones: adeo, ut nulla fere sit ætas, nullum plane ævum, cui fluctuantum medentium opinionum haud ianotescat turba. Prioris quidem ævi Medici sola experientia contenti, quæ

: 2

lon-

(i) Vid. *Dissert. Stablianam de DEO vera medicina auctore.*

longior, isque saepius repetitus edocuerat usus, in praxi adhibebant, suisque commendabant; HIPPOCRATES vero has res facti ad rationem revocando theoriam rationalis struendam primus dabat operam. Semitam legebat, ut alios taceam, genio suo nimium indulgens GALENVS: quo vero artis emolumento, judicent antiquiorum autoritate minus occaecati. Corporis enim non modo structi & vivi, sed & rerum, unde vivimus, inexistentis materialis actionis, harumque respectu individuorum diversae operationis minus curate gnari in rebus iudicii nil nisi seculo suo proferre poterant quadrantia. Quid inde mirum, si missis brevitatis caussa physiologicis, pathologia flatulenta (2) Hippocratica, a posteris explosa: Galeni humorosa (3) per tot acerrime defensa, summopereque aestimata (4) secula, recentiorum, utinam! realiori non affectato saltim artis augmento, exsiccata diligentia? Quam jejuna vero & nostris temporibus horum circa morborum caussas videantur cogitationes, quemque docebunt sequentia: Quænam quæso! in pathologicis steriliores Paracelsi tartarea & astrali? quæ Helmontii archæali, falso alias Galenicos perstringentium paris. Quæ in detegendo morborum ortu obscuriores dæmoniaca Fluddii? aut spirituali Wirdigii? Quæ in explicandis morborum caussis mancae magis ac acido-alcalica Tackenii? vel acris, fermentans, pungens, rodens, nec non ætherea quorundam Neotericorum? quæ ad stabiliendam firmiorem therapiam insufficientiores acido-biliofa Sylvii? ut & acido-viscida Cartesianorum? An denique modernis quibusdam tantopere comprobata plethorica & intentionalis hæmorrhagica pathologia omne absolvat punctum, suo modeste inquiram loco. Jaetis sic, quod ostensum dedimus, pathologiae fundamentis dubiis, therapiæ ædificium maxime vacillare ecquis mirabitur? Regun-

(2) vid. Schultzii Histor. medic. p. 237. seqq. (3) vid. Stollii Anleitung zur Geschichte der Medicinisthen Gefahrheit. p. 528. (4) Testes sunt JACOBVS SYLVIVS, ALTMARI, ALEXANDER MASSARIAS & alii. vid. prefat. Introduc. p. 155. & 724.

guntur & hic opinionibus praconceptis Medici: quam enim methodum, quæcumque medicamenta extollunt hi, eadem susque deque habent vel cane angueque pejus oderunt alii. Juvabit speciminibus quibusdam asserti nostri evincere veritatem. Quem quæso fugit pomum illud & vulgi & Medicorum sat præstantissimorum eridos, Cortex Chinæ in febris internittentibus (5) cujuscunque generis (6) in spasmis hystericis, adfectu hypochondriaco (7) podagra (8) ictero (9) & melancholia hypochondriaca (10) a multis laude dignissima, GOELICKIO e contra & aliis (11) dolosa & fallax judicata medicina. Quem latet, opium a STAHLIO (12) imposturæ accusari? licet SYDENHAMIO (13) consummatissimo illi Medico, solertissimoque naturæ observatori necessarium in hominis manu organum pluribus, iisque NB. efficacius extirpandis malis par audiat remedium. JVNCCKERVS (14) antimonium diaphoreticum efficacissimis sudoriferis sanguinisque stasin solventibus, certissimis adnumerat medicaminibus, quod BOERHAVIVS (15) invertet & noxiā purgantibus saltim stimuli loco addendam nominat calcem. SCHVLTZIVS (10) & ANHALTVS (17) mire dilaudant TE præente (18) in tollendis stasibus, corrigendis & purificandis humoribus, nec non encandis vermibus æthiopis mineralis egregias & polychrestas vires: interim BOERHAVIO (19) insulsa & iners massa, RO

J: 3 KIO

(5) vid. Prax. Stabl. secundo editam. p. 1004. 1020. 1073. seqq. (6) vid. SYDENH. Opp. Geneva edit. p. 55. 186. 397. 427. 489. (7) ibid p. 425. 549. (8) ib. p. 425. 471. (9) vid. ALEX. CAMERAR. dissert. qua usus corticis a febre ad icterum extenditur. p. 6. & 17. (10) vid. MVISGRAVE diff. de arthritide symptom. Genev. edit. p. 26. 27. (11) in dissertat. de impostura corticis peruv. passim, nec non a STAHLIO in Praxi sua a Storchio. II. edita. 758. seqq. & 765. seqq. (12) in dissert. de impostura Opii. (13) in Opp. suis 1716. Geneva edit. p. 113. (14) in Con/pectu Therap. general. p. 133. (15) in Chemia sua Tubingæ impressæ Tom. II. p. 517. (16) vid. SCHROMMII dissert inaugur. Altorffi habitam de æthiopie miner ali a pag. 17. usque 25. (17) in dissertat. inaugur. de febri quartana duplice & p. 24. (18) in triade dissert. physico - chymicar. p. 80. (19) in Chym. citat. p. 493.



KIO (20) vero suspecta habentur ejus encomia. Diaſcordium  
Fracastorii rudis, indigesta moles, stolidaque STAHLIO (21)  
dicitur compositio, quod tamen STORCHIVS (22) & GOE-  
LICKE (23) asseclæ alias strenui in vehementibus alvi dilau-  
dant torminibus. Camphora caliditate & penetrantia ab eo-  
dem (24) oleis non solum comparata æthereis, sed & idcir-  
co summe exſtuans commovensque judicata medicina, a Me-  
dico Nordhusano singulari exemplo (25) addicitur antispasmo-  
dicis. Venæ ſectionem in acutis a quibusdam non ſolum uti-  
lem, ſed & neceſſariam deprehensam adeoque commendatam,  
alii, nescio, quas ob imaginarias congeſtiones erroneous & acti-  
vas exhorrefundunt anxiæ. Et ſic de aliis, Salivationis nempe in  
vel externa tutiori administratione, aquarum foteriarum, la-  
eticiniorum, vomitoriorum aliorumque uſu in non minus ar-  
tis detrimentum interſe rixantur & contrariantur practici. Idem  
enim in eodem morbo remedium & laudant & culpant iidem,  
provocant ad experientiam singuli, nec defunt, quo ſua co-  
lorent, ſpeciosa argumenta; quo propagent, applaudentium  
turba, ut, cui aſſenſum præbeat anxius & dubius hæreat pra-  
xix molitus Medicus. Quum vero in confirmationem veri-  
tatum medicarum haud ſufficiat cum autoritatibus pugnare, ſed  
firmis potius opus ſit argumentis, quibus de certa rei ratione  
quisque convinci poſſit, haud ægre laturos fore prætantifſimos  
Viros plane conſido, ſi absque proſopolepſia unius vel alterius  
partis, harum opinionum turbinem & judicii nimis præcipita-  
ti & experientiæ rarioriſ vel particulariſ ſaltim infeliciem ſobo-  
lem aſſerere nullus dubitem. Credibile eim vix eſt, unquam tam  
graviter circa sanitatis ſtatū, morborum cauſas eorumque me-  
dendi methodum medentes hallucinari & impingere potuiffe,  
modo dicta medicinæ fulcra experientiam puta & rationem de-  
bile conjuxiſſent invicem, neutrāmque neutri præferre cavis-  
ſent

(20) in Chymatrica ſuperſtitioſa, p. 36. (21) in Praxi ſepiuſ citata, p. 801. 886.  
(22) ib. p. 886. & 911. (23) in diſſert. de dyſenteria corrupta cum ſalute agric  
in integrum reſituenda, p. 16. (24) in Praxi multoties vocata p. 799. (25) vid.  
HOFFMANNI medic. Consultat. Tom. VIII. p. 275, uque 279.

sent cautius. Non sufficit hic sola experientia; nec suppetit sibi  
relicta ratio: utriusque requiritur amicabilis isque prudentior  
nexus. Quām enim illa curatiorem tradit rerum facti histo-  
riam: hēc, quomodo & quare contigerint, solerti inquirit stu-  
dio, veritatesque inde elicit inconclusas & perpetuas, certitudi-  
ni & autoritati omni medicæ tantummodo sternentes viam tu-  
tissimumque præbentes fundamentum. Restaret quidem pro  
materiæ substratæ necessitate & modernorum quoad principia  
artis mentionem facere dissensus, quo quænam hypothesisum  
progressibus artis faveat, nec non? cuivis pateret lecturo: quum  
vero qua includor, temporis hoc vetet angustia: dicenda alii reser-  
vaturus occasionei rei ipsi, qua propter hēc scripsi, me accingam.

Imminet nempe VIR MAGNIFICE & ILLVSTRIS, Na-  
tal is TVVS, isque, quæ DEI gratia est, septuagesima quinta vice.  
Dies, quibus ars evehenda curæ cordique festus & solennis. Quæ  
enim TVA in instauranda illa nullo pretio redimenda merita:  
quæ in illustranda ea & adhuc indefessa opera, mirantur qui rem  
ex æquo æstimare norunt omnes. Viani veritatis in scriptis  
TVIS omni auro cedroque dignioribus monstras simplicem,  
indicas planam; tanta tamen TVA est modestia, ut minime  
TIBI sumas illis tantum credi, svasor potius TVIS existas & au-  
tor aliorum evolvere scripta & quæ hēc vera habent, in alienum & proprium convertere usum. Tanta porro TVA est &  
fuit pietas, ut juvenis adhuc existentiam creatoris ex artificiose-  
sima corporis structura ostensam dares atheis: (26) & dum po-  
tentias, quas idem summopere omnibus venerandus creator rebus  
indidit naturalibus, primus (27) inquisiveris motrices, præco-  
nem sapientiæ Divinæ TE gessisti solertissimum, ne dicam quam  
senex applaudentibus ipsis Theologis (28) Theologiam edi-  
disti aphoristicam. (29) Jungit se hisce non solum TVA in do-  
cendo

(26) in Orat. de Attheo convincenda ex artificiosema machina humanae structura. vid.  
Opusculor. Physico-Medicor. Ulma edit. T. I. p. 418. (27) vid. Diff. Theoremat a  
physica comprehendens 6. 4. & 5. it. diff. de univers. agente in corporibus. (28) Te-  
sis est LESSERVS Past. Nordhus. Vir eximiæ pietatis & eruditionis in epistola  
gratulatoria MDCCXXVII. hujus causa. Authoriscripta. (29) Titulus est: sum-

cendo & scribendo ingenua perspicuitas, sed & quæ Viris nobilitate generis (30) munerumque dignitate conspicuis oppido rara, extraordinaria plane, quam cum aliis ipse expertus sum, erga discendi cupidos humanitas & philanthropia. Quem enim discipulum decuisset improbum reimunerari Praeceptoris laborem, TV potius inverso quasi ordine fidelissima institutione, libere concessa aditu munificaque saepius manu, peculiari in me, dirigente sic Divina Providentia, ductus amore stimulasti & intendisti, quin sublevasti penitus discendi, me immerente, ardorem & conatus. Quid? quod exantlatis studiis academicis desiderio t. t. Collegii Medici Moscoviensis satis facturus unum eorum me nec cogitantem, nec petentem propriis designabas motibus, dignumque cui collatis prius Doctoralibus privilegiis & honoribus Sparta demandaretur futura medica, judicabas. Hæc, si mecum volvo revolvoque animo, impius plane essem atque ingratus, si TIBI, VIR MAGNIFICE! cui post DEVM omnes quales cunque meos artis profectus, fortunam, quin me ipsum debeo, publicum animi grati denegareim documentum. Ut proinde, quem offero, amoris mei in TE sempiterni, beneficiorumque nunquam intermoriturae memoriae testem eadem, qua consecro i. e. serena accipias fronte, paternumque TVVM affectum porro absenti immutatum serves, est, quod ex omni animo contendeo atque oro. Interim DEVM T. O. M. demississimis pro salute TVA omni tempore supplex fatigabo precibus, ut diem hunc, quo cœlitus & præparandis Hygeiæ Alumnis & reficiendis miseris datum es clinicis donum, in artis ulterius incrementum, ægrorum solamen, Familiaæ splendorem, Facultatis & Academiæ ornamentum singulare, TE viridi senecta radiantisbusque veris fortunæ bonis superflite saepius adhuc clementissime redire Ieroque, quod TE manet, nec nisi ævi honorisque satiatum tandem adire sinat Cœlum. Dabam Petropoli.

Pridie Calendarum Martii MDCCXXXIV.

ma totius doctrine paucis aphorismis in ordinem & connexionem relata a Medico Christiano, quæ auctior prodit 1730. (30) Gentem Hoffmannianam seculo abhinc, & quod excurrit, nempe 1630. a Ferdinando II. Romanorum Imperatore inter Nobiles S. R. J. relatam testatur GVEINTZIUS vid. ejus epistolam de augustana conf. Pauli Dolcii Medici Hallensi, cura græce reddita. p. 11.

Gb 1024.

8

8


100

80





B.I.G.



9

OPINIONES MEDICORVM  
ARTIS EVEHENDÆ PESTEM  
EPISTOLA

*QV A  
MEDICI SVI ÆVI INCOMPARABILIS*

DOMINI  
**FRIDERICI HOFFMANNI**  
COMITIS PALATINI CÆSAREI , CONSILIARI,  
ARCHIATRI ET PROFESSORIS REGII , SCIENTIARVM SO-  
CIETATIS CÆSAREO LEOPOLDINO - CAROLINÆ ET PE-  
TROPOLITANÆ: NEC NON REGIÆ BRITANNICÆ ET  
PORVSSICÆ SODALIS, FACVLTATIS SVÆ ET  
TOTIVS ACADEMIÆ HALENSIS  
SENIORIS

SEPTVAGESIMVM QUINTVM NATALEM GRATV-  
LATVR , SIMVLQVE GRATI ANIMI PRO SINGVLIS IN SE  
COLLATIS BENEFICIIS PVBLICVM PROMIT  
TESTIMONIVM,

*BREVIBVS MONSTRAT ET RECENSET*  
**ABRAHAM NITZSCH**, Dantiscanus

M. D.

p. t. Medicus Castrensis Cæsareo - Russicus.

---

Anno MDCCXXXIV.

